

176

358, 2

27c

DIATRIBARUM DOMESTICARUM **DECAS III.**

Quam

D. O. M. A.

PERMISSU ET CONSENSU

Amplissimi JCtorum Ordin-
nis in Academiâ Salanâ,

PRÆSIDE

JOHANNE SCHRÖTERO,
OSTERBURGO-MARCHICO,

DEFENDERE CONABITUR

JOHANNES PHILIPPUS HÄFFNER,
ONOLDINUS.

XI. Kalend. Novembr.

JENÆ

TYPIS JOHANNIS WEIDNERI.

ANNO CHRISTI

1614.

*Amplissimis, Prudentissimis, Spectatissimis,
Longoq[ue] rerum usu Experientissimis viris,*
DOMINO
PRÆFECTO,
C O N S U L I B U S,
cæterisque **S E N A T O R I B U S**
inclytæ Reip. Onoldinæ vi-
gilantissimis.

*Promotoribus ac Mecœnatibus aeternū
colendis.*

*Hisce studiorum suorum primi-
tiis oblatis, se commendat*

*Johann-Philippus
Haffner Respondens.*

JUVENI

Virtute, Eruditione ac Fide præstantiss.

DN. JOAN-PHILIP-
PO HAFNER O
Onold. Fr. amicomeo
pyladéo S.

Tu quoq; (QUOD FELIX, FAUSTUM SIT!) tem-
pla PHILIPPE
Astræ ingrederis? Spernisq; libidinē ad omnem
Quæ via perniciem; noctesq; diesq; libellis
Invigilas; Bacchum rixæ autorem, atq; parentem.
Interitūs fugis? ô benè! sic juvat ire per astra.

HAFNERE, Eynomiæ decus, & spes prima juventæ,
Quem Themis exceptit placidis de matre cadentem.
Ulnis, à teneris Musarum qui hubera suxti,
Perge, velut pergis. Patria ut te gaudeat alma.,
Teq; locet, trepido valeas ut jura Clienti
Reddere. Nil cures quid clamet Zoilus, aut quid
Obstrepat invidia. en, VIRTUTI SEMPER AMATÆ
EST COMES INVIDIA. atque ex omni parte beatus
Quem premit invidia. at contrà ille miserrimus, omnis
Laudat quem Populus, re verâ laudibus expers,
Sorbeat ut sitiens perpaucula pocla Lyéi.

Tu po-

Tu potius virtute tuâ macte, optime amice,
Nugiloquostemnas, nec te quæsiveris exrra.
Urge opus. en præstò stans una ex parte Themista
Serta tibi inponet quondam; tibi dona Brabeutes,
Quæ meritus, promtâ dextrâ dabit. Ipse sequere
Quando ducem, Clarum virtutis nomine & arte.
Interea HÆFLICHII memor esto tui. atq; valeto.

L. M. 2.

O R A H I
Deproperabam

Christoph. Hæflichius Norimberg.
Poëta Cæsarius.

Ad Politissimum,

D N. RESPONDENTEM
amicum meum.

IN studio Legum est tua cura laborq; PHILIPPE,
Quò Patriæ pro sis, omnibus absq; tuis
Non ut sis opibus, non sis ut splendidus auro,
Officium præstes sed sine fraude tuum.
Dignum Laude facis, cœptum molire laborem,
Dispeream nisi te poosteræ turba canet.

Hieronymus Ammon Norimberg.

Ad Eundem

Amicum meum, Fratris loco amandum.

ADDō meum reliquis votum, venenorqué Jehovam.
Ceptis ut studiis dexter adesse velit.
Atque labore tuo tibi præmia digna patroni
Cum patriâ fundant! Chare PHILIPPE vale.

Leonhardus Hæflichius Norimberg.

D I A T R I B A R U M
D O M E S T I C A R U M
D E C A S T E R T I A.

R E S P O N D E N T E

P H I L I P P O
H A S S N E X
O N O L D I N O,

Q U A E S T I O I.

An tutelæ datio sit imperii vel Jurisdi-
ctionis.



*Uandoquidem affectus paren-
tum erga liberos omnem extraneorum amo-
rem superat, l.7.pr.C. de cur.fur.eosq; de vi-
ta & salute sollicitos admodum reddit, l.42.
§.1. C.de Episc. & Cler. ita quidem, ut non
tantum sani eorum curam habeant, l.8. §.2.
quod met.caus.sed vel maximè morituri ipsis, ut reliquis ha-
redibus, l.9.de probat.omni qua possunt ratione prospiciant,
l.3. §.1.de admin.tut.Ideo Lex 12.tabb.patri indulxit, ut libe-
ris suis impuberibus atque in sacris constitutis tutores elige-
ret, l.53.pr.de V.S.progjure patri&potestatis tutelam iis de-*

G

manda-

DIATRIB. DOMESTICAR.

42

mandaret, l. 40. de admin. tut. qui aliis etiam præferuntur, l. 11. prin. de test. tut. l. 9. §. 1. de tut. & rat. distr. cùm amicissimi & fidelissimi videantur electi, l. 36. pr. de excus. Quia verò dies & hora mortis incerta, l. 1. §. 2. de condit. & dem. omni loco, terra marique metuenda, l. 35. §. 2. de mort. caus. don. non rarò spem & votum hominum prævenit, §. ex eo. 7. Inst. quib. mod. testam. infirm. accidit, ut pupillis nulli adjungantur tutores: quod cum utilitati publica repugnet, l. 2. §. 44. ad Sc. Tertyl. cuius interest pupillos non esse indefensos, l. 10. §. 4. de testam. tut. l. 1. de min. ad curam publicam & bonos principes pertinet, ut ipsis aliunde tutores dent, l. 2. qui pet. tut. eosque defendant Nov. 72. atque ita bonos & probos parentes imitentur, l. 34. C. de inoff. testam. Sed difficile admodum est, ut unus homo duorum vicem sustineat, l. 9. pr. de pac̄t. l. final. §. 1. C. de adseffor. Rectissimè igitur Impp. hanc ipsam curam aliis ob tulerunt, illis in primis, quos crediderunt non aliter hac in re esse versaturos, quam seipso, l. un. §. 1. de off. præfect. prætor. Quæ tutelæ datio an sit Imperii vel Jurisdictionis non omnibus eadem sententia. Negantum nobis placet.
I. Quia idem negat J. Ctus Ulp. in l. 6. §. 2. de tutel. perspicuis verbis: Tutoris dationem, neque Imperii, neque Jurisdictionis esse; sed ei soli competere, cui nominatim hoc dedit vel lex, vel Senatus consultum, vel Princeps. Ergo nec imperii meri, nec mixti, nec Jurisdictionis ordinariae, nec extraordi- nariae seu legalis: Negato enim & remoto genere negantur & removentur omnes species, l. 1. §. 3. de aleat. l. ult. C. de reb. al. non alien. II. Id uberioris declarationis gratia per inductionem demonstrabimus. Non est imperii MERI, quia hoc cōsistit in potestate gladii ad animadvertisendum in facinorosos homines, l. 3. de Jurisd. quæ in tutelæ datione exerceri non potest.

DECAS III.

43

poteſt. Neq; eſt imperii M I X T I, quia hoc mandari poteſt, & mandata Jurisdictione transit, l. i. inf. § l. i. de off. eius cui mand. Tutela autem datio mandari nequit, l. 8. princ. de tut. & cur. dat. ab his, cum competat lege, vel SCto, vel constitutio- ne Principis, d. l. 6. §. 2. cujusmodi res delegari non poſſunt, d. l. . pr. Planè ergo non eſt imperii, niſi tercia species addatur contra d. l. 3. Non etiam eſt JURISDICTIONIS ordinaria ſeu universè ſumptæ, quia alias foret etiam mixti imperii, l. 3. de Jurisd. d. l. i. inf. de off. ejus, quod jam negatum. Non eſt deni- que Jurisdictionis LEGALIS, quia nullibi ita dividitur Juris- dictione in ordinariam & legalem, nec hic admitti poteſt, cum privatus etiam poſſit dare tutorem, l. i. pr. de test. tut. l. ult. C. de cur. fur. & alii qui Jurisdictionem non habent: ut tribuni plebis, l. 19. pr. de tut. dat. ab his. Decuriones, l. 3. qui pet. tut. juncta, l. 239. §. 1. de V. S. præterquam quod illi tantum tutelæ dationi convenit, quæ à magistratu fit. III. Facit, quod collega poteſt collegam tutorem dare, l. 19. inf. d. t. de tut. dat. ab his, quod neutiquam fieri poſſet, ſi eſſet imperii vel Jurisdictionis, quia par in parem non habet Jurisdictionem, l. 4. de recept. arb. § l. i. 3. §. 4. ad Sc. Treb. IV. Deniq; ſi jure magistratus com- peteret tutelæ datio, legatus proconsulis mandata Jurisdi- ctione tutorem dare potuiffet, quod tamen ex oratione D. Marci consecutus eſt, l. i. §. 1. de tut. & cur. dat. ab his. & Juri- dicus Alexandrinus, l. ult. de off. Jurid. Praefectus urbi idem habet ex epiftola D. Sever. l. pen. § 3. de excus juncta, l. i. §. 7. de off. præf. urb. Prætor ex l. Atil. & præſides provinciarum, qui merum imperium habent, l. 6. §. 8. de off. præſid. ex l. Julia & Titia. pr. Inst. de Atil. tut. Atq; hinc eſt, quod nec magistratus plus poſſunt, quam edicto comprehenſum eſt, l. 20 pr. de cur. & tut. dat. Faciunt nobiscum Coras. s. miscel. 24. & ad l. i. de

G 2

Jurif-

DIATRIB. DOMESTICAR.

44

Juris d. n. 18. & sequent. Don. 3. comm. 7. & libr. 17. c. 8. Cujac. 15. obs. 19. Pac. cent. 5. q. 69. Ant. Guibert. lib. 1. memor. quest. c. Io. Ant. Fab. 1. f. p. t. 12. pr. 1. ill. 14. Gerhard. dec. 3. thes. 2. Bronch. cent. 1. aff. 13. Dn. Arum. exerc. 3. th. 4. Rober. disput. 4. Cor. 1. Förster. disp. 4. th. 8. Wes. Myns. Vult. ad §. 3. de Attil. tut. Hortens. add. t. Marc. Lycklam a lib. 4. membr. Eccl. 16. Dissen. Accurs. add. l. 6. §. 2. aliter vir clariss. Scip. Gentil. tr. de Jurisdict. ad Orat. D. Marc. c. 1. Vacon. à Vacun. lib. 6. declar. 78. n. 13. Wölner. disp. 3. th. 9.

QUÆSTIO II.

An pater filio ex heredato possit tutorem dare absq;
confirmatione?

Exheredatio plerumque ex odio parentum erga liberos provenit, l. 3. pr. de lib. & post. quod illi ingratitudine sibi conciliant N. 115. c. 3. quo casu & copyam in natura & indite cessare videntur, ut non immerito queratur, an pater filio ex heredato tutorem dare possit citra confirmationem? Quod problema qui affirmant, à scopo veritatis non aberrant, id quod sequentibus fundamentis lucidum evadet. 1. per l. 4. de test. tut. ex qua sic colligimus: Quemadmodum Pater filio instituto tutorem dare potest, ita etiam ex heredato: Atqui priori dat ipso jure citra omnem confirmationem, modò sit in potestate, l. 1. pr. d. t. Ergò & huic posteriori, si testamentum est validum, l. 10. §. 2. eod. l. 2. C. de confir. tut. l. 77. §. 3. de conditionib. & dem. 11. Idem evincitur ex comparatione patris & matris in eadem l. 4. instituta. Pater enim dat filio ex heredato jure tutorem, mater autem nisi instituto & quidem non jure, l. 2. de confirm. tut. l. 62. de rit. nupt. sustinetur tamen quasi potius in rem, quam in personam datus sit tutor, & confirmatur cum inqui-

sitio-

DECAS III.

45

sitione; qua confirmationis locum non habet, nisi tum demum, quando minus jure dederit pater tutorem. Hinc III. sic inferimus: Ibi demum confirmatione opus est, ubi jus deficit, l. 1. §. 1. de confirm. tut. aut lex præcipiens l. 3. eod. Tutore autem ex heredato testamento dato, nec Ius nec lex deficit. Ergo. Minoris veritas patet, quia lex 12. tabb. vult, ut pater liberis impuberibus, quos in potestate habet, l. 1. pr. de test. tut. quos ve in suis heredibus habere potest tutorem constituat, l. 73. §. 1. de R. f. utrumque verum est de ex heredato, manet enim in potestate, l. 20. pr. de bon. possess. contr. tab. Et jus suitatis retinet, l. 2. §. 8. ad Sc. Tertyll. ut latius ostensum est Deca. 2. quæst. ult. Jure ergo ipsi datur tutor, nec confirmatione indiget. IV. Et quis non videt hoc ipsum velle, l. 9. Et 10. pr. de testam. tutor. Quæ dicunt tutelam statim adita hereditate valere: Ergo ipso jure, non confirmationis adminiculo. Applico: Tutor ibi est datus testamento, ergo liberis, his enim tantum dare licet, l. 1. pr. d. t. Si liberis ergo institutis aut ex heredatis, aut præteritis: Non institutis, quia tamen tutor statim post mortem testatoris fieret tutor, cum adiunctionem hic expectare non possit, ut quæ in suis heredibus non est necessaria, l. 14. de suis Et leg. l. 1. §. 7. Si quis omis. caus. test. adeò ut etiā ignorantibus existat heredes necessarii, l. 7. §. 1. de acquiren. her. Et invit. l. 12. qui test. fac. poss. unde Et ēt in iis dicitur dominium continuari, l. 11. de lib. Et post. Et retineri, l. 12. §. fin. de bon. libert. Multò verò minus præteritis tutor datus censendus est: hac enim ratione falsò diceretur, quod statim adita hereditate fieret tutor, cum certum sit ejusmodi testamentum esse nullius momenti, l. 7. l. 30. de lib. Et post. l. 1. de injust. rupt. multò ergo minus hereditas ex eo adiri possit. Relinquitur ergo quod ex hereditatis sit datus. V. Non infavorabilis sententia est, ut hoc habeat

G 3

filius



filius exheredatus à patre, quod propter illum datum est, l. 6. de coll. bon. Tutela autem magis ob filii utilitatem, quam patris commodum data est filio, l. i. de tut. quam pater filio cum hereditate non aufert, nec auferre potest, l. pen. C. de pact. l. 51. C. de Episc. & Cleric. præsertim cùm exheredationes interdum fiant bona mente parentis, l. 12. §. i. de bon. lib. nō nota causa ut obsint, sed ut potius prosint l. 18. de lib. & post. 39. prin. de V. & P. S. l. 22. inf. ad l. Jul. de adult. Vide Duar. ad t. ff. de test. tut. c. 2. Don. 3. com. 4. Petr. Fabr. in l. 73. §. i. n. 2. & 3. de R. J. Förster lib. 2. de success. ab intest. Gædd. ad l. 53. n. 6. & 7. de V. S. Ant. Fabr. lib. 1. f. P. t. 12. pr. 1. illat. 29. & t. quitest. tut. dar. poss pr. 1. ill. 18. Hortens. ad §. permisum. Inst. de tutel. Cl. Dn. Foman. disp. 5. thes. 5. lit. a Dn. Arum. disp. 14. ff. th. 4. Treutl. vol. c. 1. disp. 8. thes. 2. lit. Rober. disp. 3. thes. 3. Diss. Wes. add. §. permisum. Hottom. 8. obf. 5. Förster. Jun. disp. 4. th. 4.

QUÆSTIO III.

An tutor emancipato datus & confirmatus sit
Dativus?

Patrem liberis suis tutorem dare posse, si eos in potestate habeat, notum est ex §. permisum. f. de tut. l. i. pr. de test. tut. unde etiā tutela jure patriæ potestatis mandari dicitur, l. 40. de admin. tut. Si vero emancipato dederit, lex quidem 12. tabb. non suffragatur: quia tamen liberis suis bene prospexit se presumitur, l. 22. §. fin. ad l. Jul. de adult. consularis potestas seu prætor supplet, quod juri deest, l. 4. d. t. de test. tut. atq. tutorem hunc confirmat, l. i. §. 2. de confirm. tut. de quo queritur, utrum ad Testamentariorum censum sit referendus, an vero ad Dativorum? Res ambigua propter jura utrig. parti communia: Nos DATIVIS illum ad sociandum statuimus. I. Quicun-

que tu-

DECAS III.

47

que tutor accipit authoritatem ex decreto & confirmatione Prætoris, datus, non testamentarius est, l.16.inf.de test.tut. Atqui tutor emancipato datus authoritatem habet, non ex testamento defuncti, ejusq; datione, que erat contra Jus, sed ex confirmatione Prætoris. Ergo. Minorem stabilimus: Li-
cet enim Prætor confirmans tutorem, sequatur judicium te-
statoris. l.32.de excusat. l.16.pr.de cur.fur. id tamen facit ea-
tenus, quatenus ad certam personā est adstrictus, l.3. §.1.inf.
de admin.tut formam autē pse demum sua confirmatione in-
ducit, facitq; ut tutor sit tutor, & tutelā administrare possit.
Hinc igitur cōcludimus, quod quia tutor hic materialiter est
ex testamento, formaliter ex confirmatione, necessariò dicen-
dus sit Datus, quia uti forma præstantior est materia & dat
rei esse, l.9. inf.ad exhib. ita etiam à præstantiori & potiori
merito sit denominatio, l.10.de stat. hom.l. 15.inf.de testibus:
II. Porrò pro Dative nostro ita colligimus: Is demum testa-
mentarius tutor censendus est, qui jure datur testamento, l.3.
§.fin.de test.tut. Tutor emancipato non jure datur testamen-
to. Ergo. Minoris veritas patet: Quicunq; tutor à patre testa-
mēto datus sine inquisitione cōfirmādus est, is minus jure da-
tus dicitur, l.4.d.t.est autē hujusmodi tutor emancipato datus
l.1.pr. & §.1.de confir.tut.non enim datus est, ut lex 12.tabb.
præcipiebat, l.3.d.t.l.1.pr.de test.tut. Ergo nō jure datus, Ergo
nec testamentarius, sed Datus. Ex quibus III. ita inferimus:
Tutor non jure datus, habetur pro nō dato, imò pro nullo per-
perā enim fieri, & omnino nō fieri, paria sunt l.2.de auth.tut.
l.6. qui satisd.cog. Ergo tutor ut sit, non est ex testamento, sed
tantū ex confirmatione Prætoris, atq; ex datione magistra-
tus, l.27.prin.de test.tut.nam & alias qui confirmat actum
nullum, dare videtur. l.130.de V.S. IV. Postremò cui præfe-
runtur

runtur tutores dativi, is utique testamentarius esse nequit: quamdiu enim ex testamento speratur tutor, tam diu aliis nō admittitur, l. 11. pr. de test. tut. l. 9. §. 1. inf. de tut. Et rat. distr. Jam verò ei, qui non jure datus est testamento, preferuntur alii, ut patet ex l. 3. c. de confirm. tut. Ergò non est testamentarius, dativus igitur. At què hæc est sententia Cujac. in par. ff. d. confirm. tut. Et lib. 7. obs. 7. Ram. lib. 1. de tut. c. 13. Herm. Vult. ad §. 2. f. de tut. n. 3. Giphan. ib. clariss. viri Dn. Foman. disput. 5. thes. 5. lit. f. Dn. Arum. exerc. 3. thes. 4. num. 8. Et 9. A quarecedit Don. lib. 3. com. c. 5. Et ibidem Enucleator. Mynsing. ad §. ult. f. de tut. Förster. par. 1. disp. 4. th. 9. aliter Gædd. ad l. 130. de V. S. num. 4. Aliter Vincent. Manzin. q. 1. secund. quest. prin. n. 13.

QUÆSTIO IV.

An prodigo à lege interdicatur bonorum administratio?

Quemadmodum ieges suadent, ut sua cuig, committantur, l. 9. C. de Judæ. ita etiam justum est, ut rei sui quisq; sit moderator & arbiter, l. 21. C. mand. eamq; pro arbitrio alienet, l. 2. si à par. quis man. et iam si interdum quidam abusus concurrat, l. 25. §. 11. de her. pet. Sed meritò hic Salus populi suprema lex statuenda, & minimè concedendum fuerit, ut cives ita rebus suis abutantur, ut commodum Reip. impediatur, §. 2. Inst. de his qui sunt sui & c. Cum igitur prodigus neque tempus, neque finem expensarum habeat, sed bona sua dilacerando & dissipando profundat, l. 1. pr. de cur. fur. exindeq; non tantum in extremam paupertatem vergat, l. 12. §. fin. de tut. & cur. dat. ab his, sed & in omnia vitia præceps ruat, l. ult. §. 2. C. de sent. pass. communis reip. salus flagitat, ut bonorum admi-

administratio libera ei adimatur, ne post dispersum patri-
monium tristem exitum sentiat, l. ultim. S. 5. C. de bon. que-
lib. A quo verò illa interdictio fiat, utrum à Lege ipsa, an à
magistratu, varie sunt variorum opiniones. Alij distin-
guunt inter prodigum notorium & dubium Niel. disputat.
feud. 2. thes. 4. lit. b. Dn. Arum. in exercit. 12. thes. 7. in addit.
Alij inter prohibitionem in genere & individuo Marc. Lyc.
klama à Nycholt, libr. 7. membr. Eccl. ii. Alii inter decla-
rationem prodigi & ipsam interdictionem Hilliger. libr. 12.
cap. 22. Don. enucl. lit. f. Nos citra ullius prejudicium breviter
sic statuimus: **LEX INTERDICIT SED VOCE MAGI-
STRATUS**, ita ut illa sit quasi domina, hæc autem illius mi-
nistri. Sententiam hanc probamus. I. Ejus est adimere
administrationem bonorum, cuius est eandem concedere,
contrariorum enim idem est subjectum l. 18. de acquiren. ber.
At sola lex facit dominum, S. 2. Inst. de bon. possess. juncta,
l. 48. prin. de her. inst. & S. 7. vers. pro herede, Inst. de her. qual.
& diff. & administrationem permittit, l. 120. de V. S. Ergo ea
sola etiam dominium auferre & administrationem impedire
potest, non autem magistratus, nisi quatenus vice ministri
fungitur. II. Ostendunt id omnes leges, quæ dicunt prodigo
Lege bonis interdici, l. 17. prinip. qui test. fac. poss. l. 5. inf. de
acquiren. ber. l. 1. prin. decur. fur. & alia. Atque hæc quidem
hactenus vera sunt in effectu, quatenus vox magistratus ac-
cedit, absque hac enim etiam illi qui notoriè sunt prodigi pos-
sunt contrabere & bona sua administrare, id quod patet,
I. Si prodigo, antequam ei voce magistratus interdictio ad-
ministrationis imponitur, competit restitutio in integrum,
vel etiam aliis ipsius nomine: certum est cum rectè etiam ob-

H

ligari

DIATRIB. DOMESTICAR.

50

ligari & contrahere. At prius est verum per l. 27. prin. de minor. Ergo & posterius. Ratio connexa est: quia si prodigus amisisset liberam disponendi facultatem eo ipso, quod prodigus esset, ipso jure foret securus, nec remedio extraordinario indigeret, l. 16. pr. d. t. & frustra in d. l. 27. adjicerentur verba: ut meritò bonis ei debeat interdici, quæ quid aliud volunt, quam ut legi accedit magistratus? I I. Et quis quoque inficias ibit, eum quicunque testamentum jure validum condere potest, bonorum suorum administrationem habere? l. 120. de V. S. l. 1. de S. S. Eccles. Prodigus autem, etiam ipso prodigalitatis vitio laborans ante interdictionem magistratus ritè testatur, l. 18. prin. quicunque fac. poss. cui adde §. 2. Inst. quib. non est permis. fac. test. I II. Quod velinde etiam perspicuum evadit, quod à prodigo per condictionem repeti potest id, quod ipsi ante bonorum interdictionem est creditum, l. 9. §. 7. juncto, §. 5. de reb. cred. IV. Atque hinc est, quod ille demum non habet administrationem seu diminutionem bonorum. cui per Prætorem bonis interdictum est, l. 10. prin. de cur. fur. l. penult. §. 1. eod. id quod satis evidenter ostendit, l. 12. §. fin. de tut. & cur. dat. ab his. V. Nec desunt similia exempla illorum, quæ à lege quidem fieri dicuntur, sed tamen operam judicis seu hominis requirunt: Sic infamia Juris à lege est, & tamen interdum requirit sententiam Judicis, l. 7. de publ. Jud. & fur ipso jure est infamis, modo à judice sit condemnatus, l. 4. in f. l. s. & 6. §. 1. de his qui not. inf. Lycklam. de l. Eodem modo hereditas testamentaria à lege est, nec tamen sine testatoris voluntate & declaratione, l. 130. de verb. signif. VI. Suadent hoc rationes tam ex parte contrahentium, quam ipsius prodigi: Ex C O N T R A H E N T I U M

parte



parte quidem, quia hi facile possent errare, ita ut ex sermo-
ne prodigi colligerent hominem frugi d. l. 12. §. final. de tut. &
cur. cum prodigalitatis vitium non incurrat in oculos, l. 55.
in f. de admin. tut. ut & alia accidentia, l. 5. de contr. empt.
propterea quod falsitas veritatem Nov. 73. prin. & vitium
virtutem imitatur c. sèpè dist. 41. Qui error, quia est facti,
& prudentissimos quoque fallere potest, l. 2. de Jur. & fact.
ignor. iniquè noceret iis, qui bona fide cum prodigo contra-
xissent, l. ultim. inf. pro suo. Justum ergò est, ut Iudex in-
quirat, l. 6. de cur. fur. omnes circumstantias perpendat &
facultaues prodigi (quaे proprios sèpè dominos latent, l. 10.
qui & à quibus man.) exploret, atque ita rei veritate emer-
gente ipsi bonis quasi minister legis interdicat ea formula,
quærelata est à Paulo 3. sent. tit. 4. Alias sèpè futurum
esset, ut justa ignorantia noceret, & malimores prodeßent
contra l. 74. de R. J. Ex parte ipsius PRODIGI vero, quia
ille citra cause cognitionem privaretur administratione
suarum rerum, quod iniquum, l. 2. §. 1. de his, qui sunt sui vel
al. l. 2. si à par. quis man. & ex levissima hominum opinione
facti quadam infamia afficeretur, argum. l. 2. de obseq. par.
& patr. præst. haberetur pro bonorum eversore, Cai. libr. 1.
Inst. tit. ult. pro furioso, d. l. 12. §. final. de tut. & cur. dat. &
omnium vitiorum servo, l. ultim. §. 2. C. de sent. pass. Quæ
rescum sit magni prejudicij, meritò ut aliæ facti questio-
nes, Judicirelinquitur, l. 32. princ. de usur. l. 1. in f. de Jur.
delib. l. 15. inf. prin. ad Municipal. l. 1. §. 4. ad Sc. Tur-
pill. Atque hac sententia approbatur calculo Duaren. &
Cujac. ad l. 6. de V. O. Gomez 2. resol. 14. num. 31. Vigil. in §. 2.
quibus non est permis. num. 3. Geil. 2. obs. 51. num. 2. Petr.

Gregor. 13. Syntagma. c. 6. num. 4. Borcholt. de V. O. c. 3. num. 55.
 Förster. de pact. c. 5 p. 130. & disputat. 5. thes. 3. Bronch. cent. 1.
 ass. 34. Lyckl. d. l. Gædd. de contr. stipul. c. 7. concl. 10. num. 134.
 & seqq. A quarecedit Don. ad d. l. 6. de V. O. num. 6. Robert. 2.
 rec. lect. c. 34. Fachin. 2. contr. c. 63. quodammodo Niel disput.
 feud. 2. thes. 4. lit. B. Dn. Arum. d. l. & Hilliger. loco suprà ci-
 tato, prætereos, quos citat Gædd. d. l. num. 135. Nos ad alia
 transibimus.

QUÆSTIO V.

An & quomodo pupillus sine tutoris autho-
 ritate obligatur?

DE obligatione pupilli citra tutoris autoritatem contra-
 cta prolixæ sunt Doctorum disceptationes, & miræ varia-
 tiones, quas omnes hoc loco recensere prolixum foret. Nostra
 ita stet sententia, eum obligari & naturaliter, & civiliter, sed
 diversimode. NATURALITER obligatur etiam tum,
 quando non est locupletior factus. I. Ubisunque est vincu-
 lum æquitatis & consensus, quibus nititur naturalis obliga-
 tio, l. 95. §. 4. de solut. l. 1. §. penult. de pact. ibi etiam est ipsa ob-
 ligatio: positis enim causis non impeditis, sequitur effectus.
 At quando pupillo sine tutoris autoritate creditur pecu-
 nia, est ibi æquitas naturalis, quæ suadet ut serventur ea, quæ
 semel placuerunt. d. l. 1. pr. l. 20. C. de transact. cum grave sit fi-
 dem fallere, l. 1. pr. de pec. constit. adest etiam consensus: pupil-
 lus enim pubertati proximus (de quo nobis sermo est) sponsa-
 lia contrahit, l. 14. de sponsal. delinquit, l. 23. de furt. l. 111. prin.
 de R. J. atque ita sua sponte se pœnæ subjicit, l. 34. de jure fisc.
 acquirit sibi possessionem absque tutore, l. 1. §. 3. de acquiren.

poss.

DECA S III.

53

poss. non tamen sine animo, l. 3. §. 1. l. 8. eod. II. Is natura debet, quem Jure gentium dare oportet, cuius fidem secuti sumus, l. 84. §. final. de R. f. At qui dum pupillo sine tutoris auctoritate ignorantes credimus, ejus fidem sequimur, l. 1. inf. de rebus cred. Eo natura debet, naturaliter igitur est obligatus. III. Omnis retentio est ejus, quod vel civiliter vel saltem naturaliter debetur, l. 10. de O. & A. l. 16. §. 4. de fidejuss. l. 94. §. fin. de solut. Don. 12. com. 2. p. 564. At qui creditor, qui pupillo heres extitit, ex hereditate retinet non tantum, in quantum locupletior factus est pupillus, sed in solidum, l. 95. §. 2. d. t. de solut. Ergo etiam pro ea parte, in qua non est locupletior factus, fuit debitum. Non autem civiliter, quod ipsi largiuntur adversarij: Ergo naturaliter. Et quanquam illis concedimus, multa posse retineri, qua tamen petinequeunt: tamen id nobis vicissim concedant oportet: Quod nihil possit retineri, nisi fuerit debitum, id quod in b. l. satis innuit vocula CREDITUM, que quia est relativa, presupponit suum correlatum DEBITUM arg. l. 10. pr. de V. S. IV. Firmissime haec sententia fulcitur textu, l. 25. §. 1. quando dies leg. ubi sanè pupillus non locupletior factus naturaliter obligatus esse dicitur. Quanquam verò Cujac. in l. 21. ad l. Falcid. Mercer. in concil. pag. 30. Borcholt. de V. O. c. 3. n. 42. & alii ad tribunal Pandectarum Florentinarum appellant, earumq; auctoritate quasi sacrosancta moti textui manus inferunt, & particulam N.E.C ut spuriam expungunt: tamen id faciunt cæco quadam oraculi Pisani amore. Illud quidem non diffitemur, magnam esse libri ejus auctoritatem, cui se submittere non sunt veriti (duæ illæ Juris civilis columnæ) Bart. & Baldus, cum inter ipsos de lectione cujusdam legis oriatur

H 3

conten-

DIATRIB. DOMESTICAR.

54.

contentio, Ant. August. lib. 1. emend. c. 1. tantam autem eam esse, ut in ipsius gratiam à veritate nos ab igipatiamur, negamus, qua de re vide Franc. Duar. lib. 2. disp. annivers. c. 9. circa fin. Et Dn. Gædd. ad rubr. t. de V. S. n. 31. Veram autem esse negativam lectionem textum proprius inspicienti apparebit. Præsens ibi negatur debitum, scilicet civile, quare? quia pupillus non est locupletior factus, atque ita nulla competit actio, per quam debitum jam peti possit. Naturalis autem obligatio jam est, licet non sit locupletior factus, ex qua dependet futura solutio Et competens retentio. Quod si (ut alii putant) intelligeretur obligatio futura, tum verbum FUTURAM incompetenter referretur ad solutionem, quod potius cum ipsa obligationis voce fuisset conjungendum. V. Facit huc l. 127. de V. O. ubi obligationi pupilli fidejussor efficaciter accessit: Ergò aut civiliter, aut naturaliter fuit obligatus, l. 16. §. 3. de fidejuss. At non civiliter, in quo adversarii sunt nostri: Ergò naturaliter. Locupletiorem verò pupillum non esse factum planum sit ex eo, quod nihil ab eo peti potuit, unde nec moram fecisse dicitur, l. 88 de R. J. quod sanè de locupletiore facto affirmari nequit, contra quem competiisset actio ex cōstitutione Dn. Pii, ut in sequente membro videbimus, quæ an hoc textu sit posterior, conflictus forte docebit. CIVILITER obligatur pupillus tum, quando locupletior est factus ex contractu. I. Data actione civili, danda etiam erit obligatio civilis, ex qua illa proficiatur arg. l. 42. §. 1. de procur. atqui datur actio in pupillum locupletiore factum ex rescripto D. Pii, l. 3. §. 4. de neg. gest. quæ licet utilis vocetur, l. 3. pr. cōmod. civilis tamen est. l. 37. pr. de O. Et A. arg. l. 1. de const. prin. II. Ea est obligatio civilis, quæ aut legibus est constituta, aut

certo

certo jure civili cōprobata. §. i. Inst. de obligat. At qui hæc ipsa obligatio pupilli approbata est à jure civili, in eo, quod datur exinde actio. Ergò erit civilis, non autem naturalis, quæ utiq; alias per se non producit actionem, ut docet Donel. d. lib. 12. c. 2 III. Quandocunq; juri naturæ aliquid additur vel detrahitur efficitur Jus civile, l. 6. de f. & f. Additur a juri naturæ in hoc casu ipsa actio. E. Neg; verò hoc intelligimus, quasi id tantum quod additur, fiat & sit civile: verum etiam id, cui additur, est civile, quemadmodum in d. l. 6. Jus commune per additionem fit civile: id quod ex contraria detractione lucidius appet. Quemadmodum n. id quod detrahitur non constituit Jus civile (illud enim jam ad nihilum reducitur) sed id cui detrahitur: ita etiam non tantum id quod additur, sed & id cui additur, juris civilis est. Cum igitur obligationi naturali civilis effectus sit additus, eo ipso etiam in numerum obligationum civilium est recepta. IV. Sic ex pacto interdū nascitur actio, quia lege aliqua est confirmatum, atq; ita legitima conventio constituta, l. 6. de pact. Plura brevitatis sti- non addimus, quæ peti possunt ex tr. clariss. viri Dn. Arum. de mora c. 6. n. 8. & seqq. & disp. ff. 16. th. 10. exerc. 3. th. 3. Don. ad l. 127. de V. O. Marco Lycklama 6. membr. Eccl. 19. Heig. ad §. 9. de inut. stipul. n. 8. Harpr. in pr. t. f. de auth. tut. n. 27. Disp. Cujac. in d. l. 127. de V. O. & libr. 17. obs. c. 4. Pac. cent. 4. q. 10. Giphan. ad l. 14. de O. & A. Vult. 1. discept. 16. Andr. Clud. de jure sequestr. c. 12. n. 10. Förster. disp. 4. th. 10. & in tr. de pact. c. 5. pag. 96. Hænon. disput. 3. th. 9. Rober. disput.

5. thes. 3. Gædd. c. 7. de contr. stip.

numer. 239. &

seqq.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

An Minor curatorem habens sine illius consensu
obligetur?

Minores 25. annis multis insidiis & captionibus suppositos esse testatur Ulp. in l. i. prin. de min. meritò igitur illis rerum suarum administratio & alienatio adempta, d. l. i. inf. ne in dispendum rei familiaris incident, l. ult. §. 5. C. de bon. quæ lib. & causa vulnerata remedium sit querendum, l. ult. C. in quib. caus. in integr. rest. necess. non est l. i. C. quand. lic. un. sin. Jud. An autem sine curatorum consensu obligentur, quæripotest? Questio anceps, & quæ utrinque patronos habet magnos, nos affirmantibus subscribimus. I. Per l. 101. de V. O. quam non loqui de naturali obligatione inde certum est, quod dicit ex stipulatu, quæ est civilis, ut pluribus demonstrant, Cujac. Rober. & Vult. locis infra allegatis. Neque etiam intelligi debet vel potest de minore, qui curatorem non habet, prout sentiunt Duar. Gædd. & alii, quod item demonstrat Cujac. per voculam suis. Nec denique ad minorem locupletiorem factū secundum opinionem Roberti & Försteri restringi potest, licet id conentur ex verbo, POSSUNT evincere. Præterquā n. quod stipulationis perfectio non depēdet ex futuro locuplationis eventu, l. 78. pr. de V. O. sed ex interrogacione & commoda responsione, l. 58. §. 2. de O. & A. l. 137. d. t. verbum POSSE non semper præsuponit aliud quoddam externum r̄quisitum, ut appareat ex l. 25. derit. nupt. ubi filius emancipatus nuptias contrahere potest citra parentis consensum, b. e. per se nullo alio de necessitate expectando. Sic in l. 43.

de O.

DECAS III.

51

de O. & A. est verbum, POTEST, quam tamen ipsi adversarii accipiunt de eo, qui statim, non ex futuro eventu obligatur. II. Quicunq; adit hereditatem, is legatariis vel coheretariis quasi obligatur, l.s. §.2.d.t. creditoribus autem hereditariis verè, l.8.de acquir. her.l.pen.C.de her.act.arg.l.62. & l.149. de R. J. Don. 15.com.c.14. Vult. i. J.R. 42.n.21. At minor sine curatoe authoritate seu consensu hereditatem adit, inutilis enim est ad hanc curatoe authoritas, l.17. §.1.de appell. cuius rationem reddit Giph.add.l.101.de V.O.n.7. Ergo. III. Idem constat ex l.39.in f.de O. & A.l.ult. §.2.de V.O. ubi filius f. putatas non tantum ex stipulatu, sed etiam ex omnibus causis obligari dicitur. Multò magis igitur minor pater familias, l. 43.d.t.de O. & A. plura enim hic potest, quam ille argum.l.6. prin. quia est fac. poss. juncta l.5. eod. nec refert, quod minor non habeat administrationem bonorum liberam, nam nec filius fam. eam habet, nisi in peculio castrensi vel quasi, & tamen ex OMNIBUS causis obligatur. Præterea obligationis substantia non in eo consistit, ut aliquod corpus nostrum faciat, sed ut alium (personam ipsam) nobis obstringat addandum, vel faciendum, vel præstandum, l.3.pr.de O. & A. Ergo minor personam suam obligare poterit, ut finita cura seu annis L. Latorie impletis, l.2.C.Th.de donat.conveniri efficaciter posse. Hinc etiā nuptias per se contrahere potest, l.20.de rit.nupt. cum quoad personam curatoe officio non indigeat, l.8.C.de nupt. Stant à nostra parte Cuiac.add.l.101. & lib.19.obs.33. & 21.obs.23. Ant.Fab.lib.8.conject.e.6.Borchol. in com.de Jure-jur.c.3.n.28, Vult. i. discept. 16. & r. J.R.c.27.Hilliger. lib.12. c.22.lit.q.Phil.Matth.ad l.2. §.1.de R.J.n.15. & seqq.Giph.ad d.l.101.n.2. & seqq.Bronch.i.aff.33.Fach.lib.3.contr.c.9.Dn.

I

Arum.

Arum.exerc.3.th.18.Hænon.disp.3.concl.ii.contra quam pugnant Duar. Et Don.ad d.l.101.de V.O.Sichard.ad l.3.C.de integr.rest.Gædd.de contr.stip.c.7.concl.14.n.264.E seqq. Et ad l.21.de V.S.Niell.disp.feud.2.thes.14.lit.d.Förster.de pact.c.5.pag.105.E disp.3.th.1.Robert.1.animaad.12.

QUÆSTIO VII.

An in §.Religiosum.7.J.de Rer.divis.negativè sit
inducenda?

Propriam ignorantiam vel incuriam quasi Soricem prode-re Tribonianum putant aliij, qui negativam d. §. spuriam existimant, eamq; quasi cum principiis pugnanteu extermi-nant, lectione affirmativa,l.6. §. penult. decis. commoti. Sed bona verba! Hæc vera est, nec illa falsa, quod citra ullam con-tradictionis suspicionem dici posse putamus. I. Quia utrobiq; sunt diversi casus, ibi enim in d. §.9. consensus illationem mor-tui præcessit; hinc eam subsecutus est: Diversa igitur ad utrum-que responsio. II. Quia quemadmodum in contractibus que-ri potest, an semel initi ab alterutra parte revocari possint? an verò fiant necessitatis? l.17. §.3, com, l.5. C. de O. Et A. ita Et in hoc casu dubitari poterat: utrum concedens locum senten-tiam possit mutare eamq; irritare, cum ex post facto ipsius in-teresse possit, ne locus sit religiosus? Licet enim de facto nolit rem ratam Et validam esse, tamen de jure posterior hæc vo-luntas ne tantillum valet: Nam quæ semel placuerunt amplius de jure displicere non possunt, l.6. de neg. gest. Atq; ita ratum non habere accipimus pro involuntate non perseverare, l.1. §. 14. quod legat. non autem in propria sua significatione, qua-

rati

DECAS III.

59

rati habitio semper præsupponit absentiam consensus, l. ult. C.
ad Sc. Maced. Possunt igitur simul stare. Don. 4. com. c. 1. Et ibi.
Hillig. in not. lit. m. Treutl. vol. 2. disp. 20. thes. r. lit. d. Gilbert.
Reg. 2. evav. 4. A. Aug. 1. emend. 1. Vult. in d. §. 9. Dn. Arum. ex-
erc. 4. tb. 6. Förster. disp. 6. th. 4. Dis. Wesemb. cont. Et Hotom.
in d. §. 9. Coras. add. l. 6. §. pen. n. 7. Et 8. Merce. in concil. Egid.
Hortens. add. d. §. 9. Georg. Martin. in cont. non cont. disp. 2. tb. 6

QUÆSTIO VIII.

An detur duplex Dominium, directum & utile?

Quantus sit distinctionum usus in jure nostro, dictum est
supra Deced. 1. quæst. 6. pr. qui vel maximus esse potest in
discriminando Dominio, ut in gratiam reducantur textus,
qui duos faciunt rei dominos, contr. l. 5. §. ult. commod. Atque
hic quidam adhibere solent eam, quæ esse dicitur inter domi-
nium directum & utile, incommode. I. Quia illa distinctio nō
reperitur in jure: Hinc Först. lib. 2. de success. intest. c. 18. n. 42.
Si totas pandectas, inquit, diligenter evolvas, tamen hanc
distinctiōnem minimè reperies, sed à glosographis effectam,
inventamq. cognoscet. Turpe autem est purioris Jurispruden-
tiae procos sine legum autoritate loqui Nov. 18. c. 5. in primis
ubi nulla suadet necessitas, & commodiores distinctiōnes juri-
que consentaneas usurpare possumus, qualis est ea, qua domi-
nium aliud dicitur proprietatis, aliud Juris: quam licet rejiciat
Don. 9. com. c. 8. tamen veram eam esse cum Vult. pr. J. de
R. D. n. 19. Gœdd. in l. 25. n. 7. Et in l. 49. n. 7. Et 8. de V. S. Först.
disp. 6. th. 6. Gerhard. dec. 4. th. 1. Et alius afferimus. II. Quia i-
ta distinctio actionum directarum & utilium, confunderetur

I 2

cum

DIATRIB. DOMESTICAR.

60

cum distinctione dominii. nec verum est, quod presupponitur, utiles actiones oriri ex utili dominio, cum illae non tantum ex hoc, verum etiam ex obligatione nascantur, l. 37. pr. de O. & A. Et aliunde, ut ex ipso conflictu patebit. III. Quinimò unicum tantum esse dominium, clare monstrat, l. un. C. de nud. jur. Quir: toll. falsò ergò duplex ponitur. IV. Idq; ratione cause verissimum: quemadmodum enim una est domini causa l. 3. §. 4. de acquir. poss. l. 159. de R. f. ita etiam unicum dominium, l. 11. §. 4. de except. rei Jud. licet id pro ratione subjectoru aliud Et aliud recipiat nomen. Sic sentiunt Duar. 1. disput. 17. Donell. 9. com. c. 14. Cujae. 11. obs. 35. Giph. ad rubr. de A. R. D. n. 15. Vult. 1. discept. 19. Niel. disp. feud. 3. th. 6. lit. b. Förster. pater d. l. Et filius disp. 6. th. 7. Ant. Fab. 20. conject. 11. Bronch. cent. 1. miscel. th. 1. Wegner. disp. 4. th. 2. lit. d. CONTRA coras. libr. 6. misell. 20. Bocer. disp. 2. class. 4. th. 2. Et disp. 7. th. 1. Petr. Gregor. 1. Syntagm. c. 2. Gædd. ad l. 27. de V. S. n. 18. Zaf. in l. 17. §. 1. de acquir. poss. n. 12. Et seqq. Robert. 3. sent. 18. inf. Hotom. disp. feud. c. 33. Et Phil. Hœnon. disp. 4. th. 1.

QUÆSTIO IX.

An fera post prohibitionem ingressus capta fiat
cipientis?

Omnia animalia, inquit Gajus, que terra, mari Et cælo ca-
piuntur, cipienti num fiunt, l. 1. inf. de A. R. D. nec refert,
an in proprio, an vero alieno fundo capiantur, l. 3. §. 1. cod. hoc
tamen addito, quod ingressurus à domino proprietatis, ne in-
grediatur, prohiberi paßit, que prohibitio num id operetur,
ut fer a capta domino fundi acquiratur, dubitatur? Nos eam

capien-

DECAS III.

61

capientis fieri arbitramur. I. Per l.3.pr. §.fera.12. f.de R.D.
Quodcumq; nullius est, id naturali ratione occupanti conce-
ditur. Fera autem etiamsi in meo fundo versatur, est tamen
ad huc in naturali sua libertate, & à nullo possidetur. l.3. §.14.
de acquir. poss. Occupanti igitur acquiritur, quam primum ab
eo capta est, l.14.pr. de A.R.D. cuius causa semper est potior;
l.14.pr. de noxal, act. l.10. de pecul. II. Si capiens ad restitutio-
nem tenetur, tum id sit aut propter dominium. aut possessionē
domino fundi competentem. At neutrum horum competit.
Non dominium, quia illud non habuit ante apprehensionem,
nec per capionem capientis acquisivit, per extraneam crim-
personam nihil acquiri potest, §. ex his. f. per quas vers. cuiq;
adquir. nisi sit procurator, l.20. §. fin. d.t. de A.R.D. non etiam
possessio, ut ex ratione præcedente liquet. Nullo ergo jure re-
stitutionem petet. III. Quia capiens feram non lesit domi-
num in captura, sed tantum in ingressu, qui enim jure publico
utitur, injuriam nemini facit, l.13. §.1. de injur. At veuando
usus est jure publico, quod omnibus patet, nec à Domino fundi
nisi per consequentiam prohiberi potest. Igitur ingressus no-
mine ipsi tenetur actione injuriarum, l.5. prin. d.t. Duar. ad

l.3. §.14. de acquir. poss. Connan. 3. n.1. Don. 4. com.

8. & ibi Hillig. lit. f. Giphan. ad d.l.3. num.

4. de A.R.D. Diff. Cujac.

4. obs. 2.



QUÆSTIO X.

An pœna capit is teneantur, qui alios quam urbis
Romæ muros violant?

Quemadmodum sua cuig_z domus tutissimum refugium atq_z receptaculū est, l. 18. de in Jus voc. ita etiam urbs civibus securitatem præstare debet, ut pax vinculum charitatis conservetur, c. novit. de Judic, quod ut facilius fieret, muri urbiū sanctio ne quadam ab injuria hominum muniti sunt l. 8. pr. & §. final. de R. D. pœna capit is in eorum violatores constituta, l. ult. eod. idq_z non tantum de muris Romæ, sed & municipiorum intelligendum est. I. Quia in d. l. ult. indistinctè dicitur: si quis violaverit muros, capite punitur. II. Ratio ejusdem aliis est convenit. Quia hostile & abominandum est, cives Romanos alia, quam per portas egredi. Cū igitur non tātū cives Romani sint, qui Romæ vivunt, sed etiam qui in municipiis degunt l. 17 de stat. hom. illis hostile & abominandum erit muros transcedere, aliaq_z egredi, quam per portas. III. Quia id etiam ostendunt particula N A M E T, que innuant regulam generalem, eamq_z exemplo Remi illustrant, nullatenus autem restringunt, l. 30. §. si. de damn. inf. l. pen. §. pen. vers. Et licet. de Jur. & fac. ignor. l. 1. §. 25. de vi & vi armat. IV. Muri propterea sancti sunt, quia pœna capit is constituta est in eos, qui aliquid in muros deliquerint, §. sanctæ. J. de R. D. At muri municipiorum sunt sancti, l. 8. §. fin. eod. E. V. Et quanquam nomen urbis simpliciter positum interdum per Antonomasiam pro Roma sumitur, ut l. 1. pr. de l. Jul. de ambit. & alibi: tamē id nō est perpetuum, sed plerumq_z adjici solet, urbs Romæ l. 3. C. de Can.

frument.


DECA S III.

frument. urb. Rôm. & alias etiam quæ Romæ recepta sunt, in
municipiis etiam obseruari jubentur iul. l. §. 10. C. de vet. jur.
encl. in primis ijs in rebus, in quibus Ius speciale in aliis mu-
nicipiis non est constitutum: quod in proposita questione dif-
ficillime erit demonstrationis. Atq; hæc tum demum militare
volumus, si in contemptum, ludibrium, vel hostili animo quis
transcenderit muros, non si vitæ suæ redimendæ causa, igno-
scendum enim ei est, qui sanguinem suum qualiter qualiter
redemptum voluit, l. i. de bon. cor. qui ante sent. W. es. ad d. §.
sanctæ. Don. 4. com. c. i. inf. Gœd. ad l. 5. de V. S. n. 17. Marc. Ly-
cklama 3. membr. Eccl. 6. Gerhard. decad. 4. th. 2. Hœnon.
disp. 4. thes. 4. Diss. Petr. Gregor. lib. 35. Syntagm.
c. 7. num. 1. Bronch. cent. 1. misc. aff. 6. För-
ster. disp. 6. th. 5. & alii. Nos
receptui cani-
mus.

63



COROL-



COROLLARIA.

I.


Verba definitionis tutelæ IN CAPITE LIBERO, ad tutorem referenda statuimus.

II.

Servum proprium sine libertate tutorem datum fideicommissariam libertatem consequi, cum Giphanio defendemus.

III.

Excusatio tutoris etiam ante rejectionem per appellationem fieri potest.



PARADOXON

Quod ipsi non habemus, alii præbere possumus.

DIATRI-

00 A 6440



3

VDA

Retro ✓



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

Centimetres
Inches

